

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 5023

**Auteur(s) :** Lucius II [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Gautier, Foucarmont, Notre-Dame (abbé)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1144, 5 décembre

**Lieu d'émission :** Latran

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Le pape Lucius [II] prend l'abbaye Notre-Dame de Foucarmont sous sa protection et confirme les biens de ladite abbaye.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 25, p. 87-89.

### Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2eéd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 8670, t. 2, p. 17.

Texte établi d'après a

Lucius episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Galtero abbati sancte Marie de Fulcardimonte eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem uitam professis imperpetuum. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis deuotio celerem sortiatur effectum. Eapropter, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus clementer annuimus et prefatum monasterium, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis: ex dono comitis Augensis omnes culturas suas de Fulcardimonte cum auxiliis carrucarum et omnia prata sua inter Fulcardimontem et Fanencort et molendinum de Lessenla et medietatem pratorum suorum apud Septem Molas et Sartum Baril et Sartum Engerelii et Nouam Landam et in foresta sua quietantiam pasnagiorum et herbagiorum et quicquid opus erit ad edificationem et ad ignem, et decimam partem annone et denariorum de ministerio, quod Gaufridus de sancto Leodegario dudum custodiuit, et in uilla de Foucarmont tres modios auene et in molendinis de Blangi VII modios brasii et apud Augum maeriam ad pannos emendos, ex dono Henrici de Teiz et Hugonis de Oreio terram de Manontessart cum uniuersis nemoribus eidem pertinentibus, ex dono Gauterii de Goleceles terram de Spina cum nemore sibi appendente, ex dono Guillelmi terram de Fraitis et decem acras in Plaisientia et totidem ad Fossatum regis, ex dono Hugonis de Hisleis XII acras terre in Fraitis

et I carrucata[m] terre ad Firmam, ex dono Richardi de Helgeuilla nouem acras terre in Monte Pulchri Hominis et ex dono Rogerii fratris eius unam acram terre ; in Anglia decimam partem de omnibus, quecumque Iohannes comes Augensius poterit acquirere, decimam partem de uicecomitatu de Fulcarmunt, ex dono Gauterii Peurelli pratam et duas acras terre. Preterea de laboribus, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis uestrorum animalium a quolibet clerico siue laico decimas a uobis exigi prohibemus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere, minuere aut aliquibus uexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salua apostolice sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, secundo tertioque commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen.

Dat. Lateran. per manum Baronis sancte Romane ecclesie subdiaconi non. decemb., indictione VIII, incarnationis dominice anno M°.C°.XL°III°, pontificatus uero domni Lucii II pape anno I°.